

cus censu novato, cum senatu motis pluribus lascivum
 adolescentem, quem sibi probatum parens asseruerat,
 retinisset, censorem et liberis patrem debere esse
 5 recte adiecerat. Ast ubi Messalinae coniugis simulque
 libertorum delinimentis, quibus semet dediderat, in 5
 pravum abstractus, non illa modo tyrannorum admissa,
 verum quae postremum genus mulierum atque servile
 6 quibat facere viro amenti dominoque. Namque uxor
 primo passim quasi iure adulteris utebatur; eoque ex-
 stincti cum suis plerique ingenio seu metu abstinen- 10
 □ tes, dum pervagatis mulierum artibus peti a se petitos
 7 criminatur. Dehinc atrocius accensa nobiliores quasque
 nuptas et virgines scortorum modo secum prostituerat;
 8 coactique mares, uti adessent. Quod si qui talia hor-
 ruerat, afficto crimine in ipsum omnemque familiam 15
 9 saeviebatur. Namque Claudium, uti supra docuimus,
 natura performidolosum iniecto metu sui agitabant,
 maxime coniurationis; quo commento liberti etiam,
 10 quos vellent, perditum ibant. Qui primo sceleribus
 coniventes, ubi pares patronae facti sunt, eam quoque 20
 □ ignaro, quasi iubente tamen, domino per satellites in-
 11 terfecere. Et sane in id progressa mulier erat, uti
 animi ac pellicum gratia marito Ostiam profecto
 Romae nuptias cum altero frequentaret; et hinc no-
 tior, dum mirum videtur apud imperatorem viro quam 25
 12 imperatori nuptam esse. Ita liberti potestatem nacti
 summam stupris exilio caede proscriptionibus omnia
 foedabant, eoque herilem stultitiam perpulere, uti senex
 13 fratris filiam in nuptias concupisceret. Quae †quamvis